AUTHOR:

DODERLEIN, LUDWIG

TITLE:

LECTIONUM HORATIA-
NARUM DECAS

PLACE:

ERLANGAE

DATE:

[1828]

Master Negative #

91-80313-6

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Döderlein, Ludwig, 1791-1863.
...Lectionum Horatianarum decas. Erlangae, typis Jungeanis, [1828]
22 p. 25 cm.

At head of title: Viro summe venerabili D. Joanni Adamo Schaefero... gratulatur Gymnasium Erlangense interprete D. Ludovico Doederlein...

Restrictions on Use:


TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 14
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 10-28-91 INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT




AIIM


Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202














MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

20.3

Herrn Director [illegible]
in [illegible]

zur gefälligen Besorgung durch die wohll. Knoblochische
Buchhandlung in Leipzig.

Viro

Summe venerabili

D. Joanni Adamo Schaefero

pot. regi Bavar. a consil. ecclesiast. et philolog. in class. lyceal. gymnasii Onolsbacensis professori

Semisaecularia muneris solemnia

prid. Kalend. Maj. MDCCCXXVIII

gratulatur

Gymnasium Erlangense

interprete

D. Ludovico Doederlein

philol. atque eloq. prof. publ. ord. et semin. philol. directore gymnasii rectore.

Inest lectionum Horatianarum decas.

Erlangae
typis Jungeanis.

Innatum insitumque est hominum ingeniis, Vir clarissime, ut illos, quorum virtutem fama tantum vel per annales cognovimus, veneratione quadam prosequamur, eos autem, quorum adspectu ac sermone ipsis uti fruique contingat, non revereri solum, sed magis etiam amare ac diligere soleamus, tanquam amoris affectui facilior sit per oculos quam per aures aditus in animos humanos. Id quam verum sit, quum alias saepe usu edocemur, tum videmur nunc quoque experiri, qui hodierni diei gaudium cum illo die solemni comparamus, quo ante biennium Norimbergensium civitas gymnasii sui gloriam post tria saecula florentis gratulata est, multosque de nobis, utinam Te quoque, invitatum quidem honorificentissime, sed negotiorum tum occupatione detentum, laetitiae suae habuit testes. Augusta sane illo die frequentabantur nomina, et ipsius Melanchthonis, viri divini, umbra versari videbatur inter praesentes, neque quenquam interfuisse crediderim, cujus non animus sancta quadam priscorum temporum recordatione ad religiosam tot tantorumque virorum venerationem commoveretur. Nunc autem et hoc die non defunctorum memoriam redintegramus, sed

viventem colimus, non operis illustrissimi salubritatem et splendorem suspicimus, sed hominis carissimi incolumitatem et virtutem concelebramus. Itaque tanto hic Tuus dies jucundior nobis videri debebit, quanto ille dies fuit sanctior.

Te enim, Vir optime, post quinquaginta annorum indefessam industriam, quum eum aetatis humanae terminum egressus sis, quem attigisse plerisque magnum habetur, ea etiamnunc vigere et corporis firmitate et ingenii alacritate, ut iniisse alteram aetatem verius, quam priorem explevisse videaris, digna profecto est causa, cur et Deo T. O. M. grates agamus, et Tibi, nec labores vitae humanae nec jucunditates seniliter pertaeso, gratulemur. Neque vero meis unus ipse haec verbis praedico, sed quod ultro pro ea quae mihi Tecum est hereditaria quaedam (intelligis enim quid dicam) amicitia facturus eram, id collegarum meorum, qui mecum in ludo literario Erlangensi iisdem ac Tu studiis operam navant, consensu et voluntate rogatus sum ut facerem publice. Nam praeterquam quod unus de filiis Tuis, quem ad omnem Tui similitudinem ipse instituisti, pars collegii nostri, ea qua fas est pietate patrem colit, reliqui omnes partim amicitia conjuncti colloquiorum vel epistolarum Tuarum suavitate fruimur, partim meritorum Tuorum testes praecepta institutaque Tua intuemur.

Jam mihi magna est copia laudum Tuarum, sive enumerando, quam multi tot annis pueri et adolescentes ex disciplina Tua et humanitatis quasi officina prodierint, quorum nunc actuosa sapientia

et eruditione innititur pars reipublicae; sive commemorando, ut ii omnes, quibus aliquid unquam Tecum fuit, admirentur doctrinae Tuae varietatem, et adamaverint consuetudinis hilaritatem personamque Orbilio plane diversam, quasi pro virili parte eximere velis tristitiae crimen, cujus invidia multitudo pridem exagitare consuevit nomen paedagogorum; sive concelebrando, quod quasi in praemium tot virtutum summo Dei T. O. M. beneficio obtigit, ut et molestiis negotiorum liberatus et dulcissimo erudiendi muneri adhuc quam maxime par, salva conjuge carissima, florente liberorum nepotumque numero, Tui moribus, ingenio, partim etiam studiis similium, discipulis, collegis, amicis unice dilectus ac venerabilis, iis denique divinitus bonis auctus, quibus vix quidquam adstruere possit fortuna, pulcherrimam beatissimae senectutis praebeas speciem. Verum haec omnia si pleniore oratione persequenda aliorum ingeniorum eloquentiae relinquo et, omisso talis officii honore, intra animum eadem celebrare malo, nequaquam vereor, ne vel pietatis nostrae vel laetitiae sinceritatem incusaturus sis ut mancam. Non ignoras enim, quantopere admiratus omni tempore sim sublimem Periclis Thucydidii sententiam: *ἐμοὶ ἀρκοῦν ἂν ἐδόκει εἶναι ἀνδρῶν ἀγαθῶν ἔργῳ γενομένων ἔργῳ καὶ δηλοῦσθαι τὰς τιμὰς, καὶ μὴ ἐν ἑνὶ ἀνδρὶ πολλὰς ἀρετὰς κινδυνεύεσθαι εὖ τε καὶ χεῖρον εἰπόντι πιστευθῆναι.*

Nunc alia quoque ex parte illud tanti viri exemplum sequi audebo; cui quum publice mandatum esset, ut eos cives, qui pro reipublicae incolumitate vitam profuderant, concione funebri laudaret, sic homines dignissime honoratum iri existimavit, si nulla prope ipsorum facta mentione statim inflecteret ad ejus rei dignitatem, pro qua illi et vivere et occumbere

voluerant, ad patriae illustrissimae et dilectissimae bona recensenda virtutesque exponendas. Illius igitur orationis ad instar ego nunc Tuum in honorem non de Te Tecum, sed de Tuis agam, de Horatio Tuo, quem quantopere diligas et assidua lectione, consuetudine, amore prorsus Tuum feceris, multis antea privatim, et nuper omnibus publice approbavisti. Quodsi jam decadem lectionum Horatianarum ad Te misero, non hoc solum me assecuturum esse puto, ut, sive ad Horatii accuratiorem intelligentiam aliquid his pagellis contulero, tali luce gaudeas, sive tentavero conferre frustra, vindicandi priscum amicum ab junioris amici injuriis locum habeas; sed illud etiam non minoris aestimo, quod ejusmodi quaestionibus praeteritorum temporum memoriam renovaturus sum, quibus Hellerus noster olim, dum viveret, candidissimus mortalium, pia quadam ingenii doctrinaeque Tuae cultura per literas modo communicare, modo sciscitari solebat, quid de cujusque loci sensu vel ipse vel Tu sentiretis.

Decas lectionum Horatianarum.

Lectio prima.

Ridebis fortasse et licet rideas. Juvat enim Plinii Tui verbis Te affari, si principium sumo ab illorum versuum enarratione, qui tot saeculis puerorum, virorum, senum oribus conclamati plerisque hac ipsa luce clariores habentur, Epist. I, 1, 60.

Hic murus aheneus esto,
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

Atqui eandem illam sententiam, quamvis late splenderet, tamen adeo *ἀπροςδιόνυσον* pridem judicavit Wielandius, ut, dum verteret, plane omittere satius habuerit; nec Doeringius nuper ea attulit, quae satisfactura fuisse arbitrer accusanti. Praestrinxit nimirum tot ingeniorum aciem consuetudo decerptos quodammodo audiendi illos versus ac seorsum recitandi, quo more celeberrimi cujusque loci sensus saepe immutari, interdum etiam, mirum dictu, novis virtutibus augeri ac decorari solet. Nempe qui seorsum recitant, vocabulo *aheneus* id ponderis addunt plerumque, quod pronomini *hic* principio enuntiationis posito debetur; neque enim *aheneus* murus simpliciter luteo ac fragili, sed *hic* aheneus murus opponitur *alii* muro item aheneo, qui vs. 52 si non descriptus, at significatus est. Comparatur quippe bonae conscientiae murus quasi aheneus, sed aere perennior, cum illo muro, quem auro argentovè, vel numis qui et ipsi aere constant et *aes* vel *aera* vocantur, vere illum quidem aheneum, sed fragiliorem multo, exstruere solent avari. Jam vide sis sententiarum ordinem, satis dilucidum: Clamant omnes, virtutem aeri posthabendam; atqui sapientius vel pueri ludentes non aere seu externis bonis, sed recti scientia et bonis artibus metiri consueverunt, quos reges facturi sunt; ergo pueros viri imitati

se quisque non auri argentique acervis vel saccis tanquam muro circumvallent, sed hunc potius aheneum murum putanto, nil conscire sibi. Germanice autem interpretaturis aheneus non *chernes*, sed *metallenes Bollwerk* vertendum erit.

Lectio secunda.

Demirantem saepe audivi Hellerum nostrum, cur tandem Horatius principio Epist. I, 6.

Nil admirari prope res est una, Numici,
Solaque, quae possit facere et servare beatum,

praeclaram laudem ἀϑαυμαστίας tanquam unici boni adjiciendo adverbio *prope* restringere itaque vim sententiae philosopho dignissimae infringere voluisset; non injuria, opinor, si tamen id significari voluisset poeta, quod vulgo putatur. Nam neque verum est, si philosophi partes agimus, alia ulla re praeter quam ἀϑαυμαστίᾳ praestari felicitatem, et si foret verum, hyperbolen poetae facilius quam restrictionem adeo providam, ita religiosam ac prorsus languidam ignoscas. Quid ergo? Errant quippe, qui jungunt *prope una*, sede et sensu discreta; *prope* poetice dictum est *prope semper* i. e. plerumque, plane ut apud pedestres scriptores synonymum *fere* dici solet pro *fere semper* vel *fere plerumque*, quod et ipsum plene non semel legitur apud Ciceronem. Non alia ratio est Ep. I, 18, 27.

Et ait *prope* vera: Meae (contendere noli)
Stultitiam patiuntur opes; tibi parvula res est.

Manifestius etiam II, 2, 61.

Tres mihi convivae *prope* dissentire videntur,
Poscentes vario multum diversa palato.

Ibid. vs. 20.

Dixi me pigrum proficiscenti tibi, dixi
Talibus officiis *prope* mancum.

Satir. I, 3, 98.

Atque ipsa utilitas, justi *prope* mater et aequi.

Art. P. 431.

Ut qui conducti plorant in funere, dicunt
Et faciunt *prope* plura dolentibus ex animo.

Nam omnia haec vocabula, quibus *prope* additum putatur, non ita audacter et ὑπερβολικῶς dicta sunt, ut restrictione et moderatione eorum opus esse videatur. Is usus num proprius Horatio ac peculiaris fuerit, ut aliis alia scriptoribus, an vero delitescat passim, non decerno; nisi quod Cic. Mur. 11, 25 potest certe in hunc sensum explicari, et aptius, opinor, quam si *paene* interpreteris: *Primum dignitas in tam tenui scientia quae potest esse? res enim sunt parvae, prope in singulis literis atque interpunctionibus verborum occupatae.* Utut haec sunt, illud vides, in Horatiano loco nihil languoris residere, si *prope* est *plerumque;* ita enim tota sententia non placito e Stoicorum disciplina repetito similis est, sed narrationi ejus, qui experientia et usu hominum et observando animadvertendoque, quae uniuscujusque esset sors quique animorum habitus, didicit, iis, qui cuipiam serviant cupiditati, perraro obtingere felicitatem.

Lectio tertia.

Pollicitus sum in Memoria Helleri nuper a me conscripta, si ea, quae Hellerum de ordine sententiarum ejusdem Epistolae sextae literis mandasse sciebam, e libris chartisque ab eo relictis eruere potuissem, haec me evulgaturum esse. Et reperi, inchoata tamen et nec absoluta nec fortasse perpolita. Quae si nihilosecius tamen publici juris facere audeo, lubrico incepto et multis improbato, postuma autoris injussu edi, propterea ea res excusationem habebit, quod ad Te, Helleri amicissimum, haec omnia proprie scripta volo, cui persuasum habeo nihil gratius mitti posse, quam quaslibet amici fidelissimi reliquias. Haerebat autem Helleri acumen maxime in versibus 9 — 11.

Qui timet his adversa, fere miratur eodem
Quo cupiens pacto; pavor est utrobique molestus.

Saepe diuque illam quaestionem agitanti, quum perinde ac magister discipulis solet, per jocum mihi injunxisset, ut, quem sententiarum ordinem esse

arbitrarer, perscriberem, olim ego haec fere tradideram; quam schedulam posthac inter adversaria defuncti asservatam inveni:

Gedankengang in Hor. Epist. I, 6, 1 — 12.

1. *Nichts ein Wunder nennen macht allein glücklich. Vs.* 1 — 2.
2. *Giebt es doch sogenannte starke Geister, für die selbst die grofse Natur in ihrer Herrlichkeit kein Wunder ist! Vs.* 3 — 4.
3. [*Wenn man diese Athaumastie für Seelengröfse zu halten geneigt ist:*]
4. *Wie kleinlich sollten da billig vollends die irdischen Güter scheinen! Vs.* 5 — 8.
5. [*Es ist also inconsequent, das Grofse nicht bewundern und das Kleinliche bewundern.*]
6. [*Aber eine solche Bewunderung ist nicht blos inconsequent, sondern auch schädlich.*]
7. *Denn eben so, wie der Feige mit dem Leidenschaftlichen und scheinbar muthig Strebenden die falsche Bewunderung oder Werthschätzung der irdischen Güter z. B. des Lebens, des Reichthums, der Ehre gemein hat: Vs.* 9.
8. [*So theilt umgekehrt der Leidenschaftliche und scheinbar muthig Strebende mit dem Feigen auch dessen Furcht.*]
9. *So sind also der Feige und der Strebende beide dem* pavor *unterworfen und dem* terror *ausgesetzt, Vs.* 10.
10. [*und dadurch beide in gleichem Grade unglücklich,* εὐφροσύνας ἀλώμενοι.]

Hellerus autem haec scripta reliquit: „Quaeritur primum, illi quinam „sint, qui formidine nulla imbuti solem et stellas et caett. spectent, deinde „utrum laudis an reprehensionis caussa memorentur? Rerum naturalium cu„riosos (peritosque), astronomos scilicet et philosophos, post Cruquii scholia„sten significari volunt plurimi interpretum, nominatim Pythagoram, Democri„tum, Epicurum, idque honoris caussa Lambinus, Gesnerus, Wielandius, ve„ram quidem sapientiam philosophicamque rationem iis tribuentes, quum contra „Baxterus et Sanadonus atheos illos statuant, qui coelum, terram mundumque „universum forte fortuna ortum, non divina potentia creatum, providentia con„servatum opinarentur. Frischlinus autem et Lubinus, paraphrastae, non tam „physicos, qui detectis rerum naturalium caussis formidinem depellant, intelli-

„gunt, quam viros fortes, magnanimos et excelsos, quorum quidem fortitudo „conscientia recte factorum nitatur, ad normam egregiorum versuum III Od. 3, „1 — 8. Nec vero absurde cogitaveris de magno eorum numero, qui coele„stia illa tam admirabilia parum curent, aut naturali quodam torpore et lan„guore impediti, aut diuturna adsuetudine decepti, qui fortasse insoliti quid et „monstrosi in coelo vel terra mirentur, ordinarium autem naturae siderumque „cursum vix contemplatione sua dignentur: quae fere Haberfeldii videtur „sententia."

„Horum vero quoscunque sibi mente finxerit poeta, sic eum conclusisse „manifesto patet: Si multi aut plerique eo usque progredi potuerunt, ut nil „moverentur rebus summa dignissimis admiratione, quanto magis ab omni „releganda sunt admiratione ea, quae per se futilia sunt! Quaeritur autem „nunc inprimis de cardine, quo tota vertitur comparatio: ex iis enim, quae „causam admirationis alterius e comparatis membri continent, metus quidem et „gaudium in alterum etiam cadunt, quae autem maximum omnino faciat mo„mentum possidendi cupido, non item. Terrestria enim illa, divitiae, honores, „plausus non solum possunt possideri, sed etiam non nisi possessori prosunt, „solem autem et stellas possidere nemo non modo potest, sed ne vult quidem, „quoniam vix plus utilitatis, plus lucis vel caloris inde accepturus esset, si „possideret. Quem quidem defectum sensisse videntur Cruquius et Dacierius „pro possidendi cupidine substituentes cupidinem cognoscendi. Enim vero „huius cupidinis admodum diversa est natura: multo illa nobilior tum demum „carpenda foret, si modum excederet, quod tam raro sane fit, ut vix com„mode a poeta aut formidinis nomine comprehendi, aut omnino in compara„tionem vocari posset. Deesse igitur in coelestibus summum mirandi incita„mentum, et feliciorem omnino in proponendis exemplis instituisse compara„tionem videtur Horatius aliis locis, ubi aut vitium vitio vinci aut malo inter„dum consilio aliquid strenue fieri dicit, quod virtutis laudisque caussa fieri „deberet: veluti Epist. I. 2, 32. 33.

„Ut jugulent homines, surgunt de nocte latrones;
„Ut te ipsum serves, non expergisceris?

„Quod autem Torrentio visum est, physicos Horatio perstringere placuisse, „tamquam ii potissimum in utroque peccent: equidem non video, cur huic tan„tum eruditae hominum classi in sequentibus praecipiat Horatius, quod omnibus et „singulis decere non uno carminum suorum loco diserte docet. Quin omnino

„non idem subjectum statuere velim in utraque enunciatione, id quod „ipse Wielandius fecit, fecisse etiam Daruius videtur. Alterorum potius ex- „emplo alteros moneri verisimile est. Sed qui reprehendendi cupidum sibi semel „fingunt poetam, possunt ii quoque sic argumentantem informare: „Stulti sunt „homines in hanc et in illam partem: alii ne ea quidem admirantur, quae „maxime sunt admirabilia, contra alii ea quoque stupent, quae nulla digna „sunt admiratione.“ Fuerunt etiam, qui de scepticis facerent mentionem, pa- „rum sane feliciter.“

Lectio quarta.

Maecenati Horatius (quae est summa Epist. I, 7) bona sua, modica quidem illa, sed sufficientia et aequo gratoque animo possessa debebat; quae tamen sic accepta referebat, tanquam non inops a divite, sed amicus ab amico donatus esset, redditurus et resignaturus, si forte mancipium ille redimere, non amicum devincire illis donis voluisset, et gratiam vix habiturus, si paulo superbius et arrogantius Maecenas dedisset veluti stipem. Nam qui ea demum donat, quae ipse spernit et odit, sicut Calaber iste hospes, prodigus simul ac stultus est; prodigus, quia quantulumcunque est, incassum plane largitur; stultus, si nihilominus aliquam se gratiam sic donando initurum sperat; ingratis utique futuris, qui ejusmodi dona acceperunt. Sequuntur a v. 22 haec verba:

Vir bonus et sapiens dignis ait esse paratus,
Nec tamen ignorat, quid distent aera lupinis.
Dignum praestabo me etiam pro laude merentis.

Quae si paulo obscuriora visa sunt cum aliis, tum nuper Fr. Jacobsio in elegantissimis lectionibus Venusinis, Niebuhrii Museo Rhenan. Vol. I. p. 297 insertis, causae plurimum in eo fuit, quod *dignis* pro masculino habuerunt. Qui si recte censuissent, et hiaret quodammodo sententiarum ordo, et non satis intelligerem, quo jure sequenti versu adversativam particulam *nec tamen* quam conjunctivam, *nec*, addere maluisset. Imo vero neutrum est *dignis*, h. e. ad *digna* scil. *munera*, testante antithesi relativae sententiae *quae spernit et odit*, quemadmodum *vir bonus et sapiens* opponitur *stulto*. Sensus hic est: „Vir bonus ac sapiens contra ad ea donanda paratus est, quae digna se vel „amico sunt, ac bene sapienterque dantur, non tamen ille cuilibet largiens, sed „electis prudenter ac probatis ante amicis; nec enim ignorat, quid distent aera „lupinis, digni amici indignis; ita ut, cui largiatur, eundem etiam diligi a se et „magni aestimari profiteatur et contestetur. Ego quoque, prout quis laudabiliter „ac digne de me meruerit, me vicissim dignum praestabo, omnia grate facturus, „quae amico ab amicis amice imponi fas est, servilia autem officia ut amico „indigna detrectaturus.“ Approbavi tali vs. 24 paraphrasi eam rationem, quam Doeringius; nec Schol. Cruq. parum dilucide hunc locum explicuisse dixerim, modo distinguas: *Etiam pro tua laude, qui hoc mereris, laboro ut dignum me praestem; non: etiam* (vulg. *praestem, non etiam*) *pro ea laude, qua in me confers beneficia.* Quibus verbis nihil aliud significari voluit, quam *merentis* emphaticum esse, non *laude;* recte, nisi quod, quum generaliter haec eloqui quam ad Maecenatem referre maluerit poeta, ita accuratius scripturus erat grammaticus: *pro ejus laude qui de me bene meruit.* Jam vero tmesis, quam statuit ipse Cruquius, ut ordo esset: dignum praestabo me etiam laude pro- merentis, non est ferenda; quodsi *circumvectari* vel *quocunque* per tmesin diremit Hor. Sat. I, 6, 58 et Ep. I, 1, 15, longe alia harum particularum est ratio; nam *circum* saepe, *cunque* saltem apud Horatium (Carm. I, 32, 15) sola ac per se utpote adverbia ponuntur; *pro* nusquam seorsum legitur, neque quidquam est nisi praepositio; quandoquidem *pro* interjectio concursu trajectionis, aposiopeseos, syncopes nata est ex *per oh deos*, de qua vocula alias paulo accuratius agam.

Lectio quinta.

Argumentum Epist. I, 18 hoc fere esse liquet: Lollium amicum Horatius ad rectam potentium culturam ita instituit, ut simul deterrere ab eadem malit, enumerando, quam multa et officia libero et ingenuo viro vix satis digna sint observanda tale iter ingressis, et pericula offendendi anxie devitanda. Idcirco commendat amico, natura ad libertatem propenso, ante omnia, ne parum mode-

stus coram divite sit, v. 7—36; deinde ne curiosus secretorum, commissorumve divulgator, v. 36—37; ne sua studia studiis patroni remittere cunctetur, v. 39—66; ne ullum sibi verbum non satis perpensum elabi patiatur, v. 67—72; ne rivalis esse videatur divitis, v. 73—75; ne incaute commendet quenquam vel intempestive tueatur. Atque haec quidem omnia quamvis ἀφοριστικῶς copulata, optime fluunt, quum praesertim ea praecepta, quae ingenio paulo liberiori, quale fuit Lollii, difficiliora observatu viderentur, fusius tractaverit, illis, quae ad Lollii mores non proprie pertinebant, breviter defunctus. Jam nunc tanquam finito praeceptorum ordine v. 86 ita pergit:

Dulcis inexpertis cultura potentis amici,
Expertus metuit. Tu dum tua navis in alto est,
Hoc age, ne mutata retrorsum te ferat aura.

Atqui continuo resumit, quod modo omisit, adhortando, ut suam quisque naturam assimulet patrono, v. 89—95. Vellem festivitatis aliquid in hac praecipiendi intermissione et intercapedine possem agnoscere; nunc autem ab indignis turbis propius tale quid abesse mihi videtur, quam a grata negligentia. Sed accedunt dubitationes grammaticae duae. Primum enim locutio illa: *tua navis in alto est* quid significat? Schol. Cruq. „Est autem hic navigare esse in amicitia potentis amici, cui est obsequendum.“ Lambinus: „dum in cursu es.“ Doeringius: „cum in cultu potentioris prospero successu usus es, id age, ne de loco quo progressus es rejiciaris.“ Ii omnes navis in alto versantis conditionem in bonam partem traxerunt, tanquam *portu exiisse* pars felicitatis esset; non contra rationem, at contra usum. Nam ita veteres hoc tropo uti solent, ut in alto versari eos potissimum dicant, qui a portuum refugiis longius remoti tempestatum ac fluctuum periculis obnoxii sint. Sic Cic. Tusc. IV, 18. *Ipsa sibi imbecillitas indulget in altumque provehitur imprudens.* Orat. III, 36. *Repente te quasi quidam aestus ingenii tui procul a terra abripuit, atque in altum quasi a conspectu paene omnium abstraxit.* Deinde *inter cuncta* pro lubidine explicant *praecipue, ante omnia.* Sed quaeso quonam illud jure? quo exemplo, qua ratione, qua analogia freti? quoniam diversius vix quidquam fingi potest, quam particulae *inter* et *ante.* Nihil aliud est *inter cuncta* quam *omni tempore*, sicut *inter haec* est *hoc tempore*, cum alias saepe apud Tacitum, tum apud ipsum Horatium, Epod. 2, 39.

Quis non malarum, quas amor curas habet,
Haec inter obliviscitur?

Quodsi trajectos librariorum incuria tres versiculos statueris, et hoc ordine ab Horatio scriptos esse censebis a v. 93.

Deme supercilio nubem: plerumque modestus
Occupat obscuri faciem, taciturnus acerbi. —
Dulcis inexpertis cultura potentis amici,
Expertus metuit; tu, dum tua navis in alto est,
Hoc age, ne mutata retrorsum te ferat aura.
Inter cuncta leges et percontabere doctos,
Qua ratione queas traducere leniter aevum.

non solum amovebuntur, quae praecipiendi ordinem perperam turbabant, et, quoniam aphoristica est singulorum praeceptorum enumeratio, nihil hiare videbitur inter *sumere vires* et *Oderunt hilarem tristes*, sed transitus etiam commodissimus et lenissimus comparabitur ad verba *inter cuncta leges.* Nam ita Horatius finita institutione, „Haec fere sunt, inquit, quae in potentium cultura observanda habebis. Est autem ejusmodi cultura dulcis specie, reapse metuenda et lubrica; quod si utique ea via pergere destinavisti, illud saltem cave, ne, dum in alto mari tot tantisque periculis expositus navigas, portus talis, qualem ego teneo contentus ac bene latens, securitatem aspernatus, excidas ausis; nam sicuti potissimum est nolle potentes colere, sed sibi vivere honeste, quod ego nunc facio; secundum autem, et cupere potentes colere et posse, quod tu modo facis vel facturus es, utilius quam honestius; ita ultimum est ac deterrimum, utpote nec utile nec honestum, cupere nec posse, prae inscitia, ac sine sua utilitate decus ac libertatem potentibus condonare. Sed omni utique tempore, sive metuens culturam potentium, antequam expertus sis, portum mecum tenebis, sive in alto navigabis, ipse nihilominus experturus, philosophos legere perges, quorum institutione quandoque condiscas,

Quid pure tranquillet, honos, an dulce lucellum,
An secretum iter et fallentis semita vitae.“

Lectio sexta.

Libellum suum Horatius Ep. I, 20, 23 ipso invito in lucem proditurum his verbis formam figuramque et mores autoris describere jubet:

Me primis urbis belli placuisse domique,
Corporis exigui, praecanum, *solibus aptum*,
Irasci celerem, tamen ut placabilis essem.

Si recte interpretes verba *solibus aptum* explicarent, „apricationes sectantem, „hominem corpus mollius curantem", ut Doeringius fecit, reliquorum sententiam secutus, imitatorem habuisse Horatius dicendus esset Persium, qui *apricos senes* appellavit Sat. V, 179. Enimvero mirabor, si nemo adhuc addubitavit, possetne *aptus* solibus idem significare, quod alias *amans* solis. Quid simplicius contra et congruentius fingi potest, quam post *canitiem* etiam *calvitium* commemorari, quod ipse suum aliis identidem verbis incusavit, ejusdem libri Epist. 7, 25.

Quodsi me noles usquam discedere, reddes
Forte latus, *nigros angusta fronte capillos*.

ubi Lambinus: „Frons calvitio dilatatur"; recte probante Jacobsio in Mus. Rhen. I, 4. p. 299. Festive autem *latum nitidae calvae campum*, quem dicit Martial. Ep. X, 83, 2, describit *solibus aptum* vel *expositum*, cui epitheto contrarium habet Columell. I, 5. *Aedificium fere pestilens habetur, quod est remotum ac* ***sinistrum soli*** *et apricis flatibus.*

Lectio septima.

Conquestus Horatius Ep. II, 1 aequalium iniquitatem, qui vetustissimum quemque ex poetis, ut Livium, Ennium, Plautum, caeca quadam veneratione antiquitatis elegantioribus et perfectioribus sui saeculi vatibus antehaberent, a v. 86 haec addit:

Jam Saliare Numae carmen qui laudat et illud,
Quod mecum ignorat, solus vult scire videri,
Ingeniis non ille favet plauditque sepultis,
Nostra sed impugnat, nos nostraque lividus odit.

Nihil in his obscurum est, nisi forte primum ac pusillum vocabulum *Jam*, quo Sanadon *hodie* significari putavit, disputatiunculae locus dare poterit, inchoatae jam pridem inter nos, quam si nunc non absolvam, tamen resumam. Quippe per *jam* hoc loco multisque similibus transitum parari dico non, ut glossaria docent, ad *alia ac nova*, sed ad *majora et graviora*, nec verti debet *ferner*, sed: *und nun vollends gar*, plane ut Suet. Caes. 44, levioribus quibusdam Julii meritis enumeratis: *Jam de ornanda instruendaque urbe, item de tuendo ampliandoque imperio plura ac majora in dies destinabat*, ubi nollem Bremius meus cum Wolfio *Nam* praetulisset, recte negante Baumgarten-Crusio, *nam* dici in transitu ad argumentum prorsus diversum. Cic. ad Famm. V, 2. p. in. *Jam illud SC. ea praescriptione est, ut, dum illud exstabit, officium meum in te obscurum esse non possit.* Tac. Ann. I, 41. *Pudor inde et miseratio . . . socer Drusus; ipsa insigni fecunditate, praeclara pudicitia; jam infans, in castris genitus, in contubernio legionum eductus.* Justin. VI, 8. Epaminondas . . . *honores ita gessit, ut ornamentum non accipere, sed dare ipsi dignitati videretur. Jam literarum studium, jam philosophiae doctrina tanta, ut mirabile videretur, unde tam insignis militiae scientia homini inter literas nato.* Eodem sensu *jamvero* et interdum *vero* usurpari statuo, ita quidem, ut *jamvero*, ubi transitui inserviat, nihil usquam aliud significare quam illud: *und nun vollends gar*, synonyma autem *jam* et *vero*, cum alias multas, tum eam quoque potestatem habere dicam. Cic. Man. 11, 29. *Jam vero virtuti Cn. Pompeji quae potest par oratio inveniri?* postquam levius quiddam prae virtute laudaverat in Pompejo, scientiam rei militaris. Ibid. 14, 41. *Jam vero ita faciles aditus ad eum privatorum esse dicuntur;* post *abstinentiae* mentionem vel *continentiae* potius (hanc enim vocem paulo ante restituendam censeo ex quibusdam MSS) vulgarioris ac minus splendidae virtutis quam *facilitas* est. Catil. III, 9, 22. *Jam vero illa Allobrogum sollicitatio.* Eadem ratio est Off. II, 3, 13. Somn. 3, a. f. *Stellarum globi terrae magnitudinem facile vincebant. Jam vero* (all. codd. *jam* probantibus editoribus) *ipsa terra ita mihi parva visa est, ut me imperii nostri, quo quasi punctum ejus attingimus, poeniteret.* Tac. Germ. 14. *Cum ventum in aciem,* ***turpe*** *comitatui, virtutem principis non adaequare. Jam vero infame in omnem vitam ac probrosum, superstitem principi suo ex acie recessisse.* Conf. Hist. I, 2. Ejusdem Taciti vel, ut te judicare scio, Plinii Tui (vix enim unquam ea de re conveniet inter nos) Dial. de Orat. 6. *Jam vero qui*

togatorum comitatus et egressus! postquam enumeravit gaudia oratorum intra domus limina versantium. Similiter cap. 20. 29. 40. Sed caute supra eos locos exemi, quibus *jam vero* non transitus causa usurpatur; ne nimirum in Cic. Brut. 76, 263. *Sicinius igitur . . probabilis orator, jam vero etiam probatus*, adsciscenda esset Lambini conjectura *imo vero etiam probatus*.

Lectio octava.

Excusat Horatius Epist. II, 2 otium ac silentium poeticum, Flori epistola increpitum, sic, ut, dum Romae degat, necessitate in judicia ambulandi, importunas poematum recitationes audiendi, aegrotantes diversis in vicis amicos visendi miserabiliter distineri se conqueratur. Quorsum igitur illud, quod legitur v. 70?

Intervalla vides humane commoda.

Multa editores commenti commentatique sunt de horum verborum sensu, partim explicando partim emendando lectoribus satisfacturi, quorum illi, aut ut Lambinus, *humane commoda* conjunxerunt, i. e. ut ajunt, „non admodum „commoda, ut sunt res humanae“ probante ut videtur Bentlejo Ind. s. *humane* „pro modo rerum humanarum“ aut *commoda* per ironiam dictum putavere, non illi quidem nimium festivitatis tribuentes Horatio, quem sic temere hoc sententiarum ordine, hoc hujus epistolae tenore *commoda* pro contrario dixisse credant. Conjecturae vero certatim nuper propositae sunt; duae Doeringii, qui quum in editione sua *Romano incommoda* legendum proposuisset, proxime in Seebodii Bibl. crit. 1828 n. 16 p.127 *meditanti commoda* coll. v.71. commentus est, quae sententia porro aliam genuit conjecturam. Sed pridem verum repererat, ita tamen, ut plus aequo elaboraverit scribendo *Romano incommoda*. In quibus verbis ut *Romano* plane a vero abhorret vel propterea, quod *Romanus* non perinde atque *urbanus* eum significat, qui Romae vivit, ita *incommoda* verissimum puto, inserta ea syllaba, quae frequenter post elisionem extrusa est librariorum culpa. Lege:

Intervalla vides humane incommoda.

hoc sensu: *Quae tua est humanitas, intelligis haec talia intervalla non esse commoda poetis.* Intervalla autem sponte intelligitur non ad locum referenda esse, ut Acroni visum: „intervalla inter colles illos commoda, i. e. brevia, et hoc per ironiam“ probante Forcellino s. v. aliisque non paucis, sed ad tempus potius i. q. respirationes, ut Vellej. Pat. I, 13, 4. *Neque enim quisquam hoc Scipione elegantius intervalla negotiorum otio dispunxit.* Intervallis enim opus est poetis assiduitate meditandi fatigatis, non tamen incommodis et quae alios ac novos labores injungant, qualia sunt officia urbana, sed iis, quae respirationi commoda sint, procul ab urbis strepitu, nemorum in umbris. Quid igitur *humane*? vexavit enarratores adverbii, credo, usus paulo liberior, cui tamen jure meo aequiparo Art. P. 40.

cui lecta *potenter* erit res,
Nec facundia deseret hunc nec lucidus ordo.

i. e. pro eo quod potest. Est autem *humanitatis* ignoscere, ut Cicero dicit ad Capiton. in Epp. ad Att. XVI, 16; iis praesertim, quae specie tantum aliquid culpae habent, reapse autem ut recte facta, per se excusata sunt, et displicuerunt magis quam venia egent. Caeterum non indigna commemoratu est conjectura Froehlichii, hominis ad corrigendum promptissimi, in Progr. Monac. 1827. *Intervalla vides haud sane commoda.*

Lectio nona.

Ejusdem Epistolae secundae vs. 134 describitur homo caeteroquin bonus ac sanus, nisi quod vacuo in theatro tragoedos sibi audire videbatur:

bonus sane vicinus, amabilis hospes,
Comis in uxorem, posset qui ignoscere servis,
Et *signo laeso* non insanire lagenae,
Posset qui rupem et puteum vitare patentem.

Illud *laesum signum* Schol. Cruq. illustrare studet comparando Persio VI, 15.

Et signum in vapida naso tetigisse lagena.

quae nimis adtentorum et sordidorum hominum consuetudo est. Quodsi *signo laeso non insanire* id significatur, quod et olim Lambinus et nuper Doeringius voluerunt „qui furenter non irasceretur, cum lagenam ab se obsignatam com„perisset a servis esse resignatam“, duae res me offendunt: primum quod Horatius, posteaquam reliquas hominis bonas artes insigni brevitate recensuit, cle-

mentiam in servos tam fuse descripsit, quum praesertim non concinnitas tantum perturbetur, sed imponatur etiam lectori, existimaturo, ea potissimum in re spectari et approbari sanitatem hominis: deinde, illud si voluisset, *desaevire* vel tale quid potius quam *insanire* usurpaturus erat poeta. Nam *insanire* non nisi per euphemismum pro *irasci* poni solet, cui hic nullus erat locus. Ut paucis complectar, illo versu circumscribitur „homo *continens vini* et qui, quum „semel bibere lagenae signo demoto instituerit, non ad ebrietatem usque potare „soleat"; cujus virtutis commemoratione quam maxime opus fuit post comitatis et clementiae laudem in eo, quem sanum caeteroquin et moderatum hominem fuisse asseveraturus erat. Terni enim animorum habitus similes sunt et cognati delirationi, primum ira, deinde ebrietas, postremo immodica quaedam studia, philosophiae puta vel poeseos, in quibus ita quis totus et defixus est, ut lymphatorum instar nihil prae studio cernat, et ne rupem quidem et puteum patentem vitet. Laedunt autem signum lagenae non fures soli, sed potaturi etiam; neque in *laedere* necessario inest injuriae significatio, sed quum pleraque composita verba pro simplicibus poni soleant, modo licenter, modo ornate, *laedere* perinde atque *elidere* idem nonnumquam est, quod *adimere*, ut Epp. I, 15, 6. *Cessantem elidere morbum.* Haec si vere disputavero, credes utique, quod Bentlejo aliisque persuaderi non potuit, in Carm. III, 27, 60.

Potes hac ab orno
Pendulum zona bene te secuta
Laedere collum,

non diversum esse ab eo, quod saepe legitur *fauces elidere;* quae et ipsa locutio brevitatis studio nata est ex plena *spiritum de faucibus elidere;* aliquoties Celsus illud ipsum eodem sensu dixit, *spiritum elidere.* Superest, ut *insanire* non de ira solum, verum etiam de *ebrietate* Horatio dici comprobem. Carm. III, 19, 18.

Insanire juvat! cur Berecynthiae
Cessant flamina tibiae?

et II, 7, 26.

Quem Venus arbitrum
Dicet bibendi? Non ego *sanius*
Bacchabor Edonis: recepto
Dulce mihi *furere* est amico.

Lectio decima.

Varia est distinctio versuum Art. P. 251 sqq. usque ad v. 262. Neque tam pertractare hunc locum in animo est, quam eam potius loci partem in dubitationem vocare, de qua consentientes adhuc deprehendi editores, qui, quod sciam, omnes *non ita pridem jambicus versus spondeos recepit, ut paulo tardior veniret ad aures* copulanda esse putarunt. At enim haec doctrina rei metricae historiae aperte repugnat; quoniam, si jam Archilochus, quem ipse Horatius paulo supra vs. 79 jambici versus inventorem agnoscere videtur, senarii jambici levitatem spondeorum immixtione temperare consueverat, quo tandem jure Horatius *non ita pridem* hoc factum esse dicere potuit, quod plus septingentis annis ante fieri coeperat? Nec lucrabimur quidquam, si cum Schellio statuerimus, de Romanis tantum poetis, non de Graecis sermonem esse; nam vel ex Romanis tragicis antiquissimum quemque minime abstinuisse constat spondeorum admissione. Hunc mihi scrupulum si ita exemeris, Vir amicissime, ut Horatium non debeam dicere Graecorum poetarum morem pueriliter ignorasse, gratiam habebo; interim ex distinctionis immutatione remedium petam, plene post *pridem* interpungendo:

Syllaba longa brevi subjecta vocatur jambus;
Pes citus — unde etiam trimetris accrescere jussit
Nomen Jambeis, cum senos redderet ictus,
Primus ad extremum similis sibi. — Non ita pridem.
Tardior ut paulo graviorque veniret ad aures,
Spondeos stabiles in jura paterna recepit
Commodus et patiens, non ut de sede secunda
Cederet aut quarta socialiter; hic et in Acci
Nobilibus trimetris apparet rarus et Enni.
In scenam missus etc.

Ita si distinxeris, non modo stabit rei veritas indubia, sed etiam mirari desines, cur Horatius tam trivialem pedis jambici definitionem praemiserit; nunc ironiam inesse intelliges. „Quis demum ignorat vel addubitat, inquit, quid sit „jambus? syllaba videlicet longa brevi subjecta, quo efficitur pes citus! Id si „hodie et pueruli sciunt et tragoediarum scriptores observant, tamen olim apud „nos non ita fuit; nam prisci poetae Romani proavique nostri fecerunt laudaruntque vel eos trimetros jambicos, in quibus praeter nomen nihil fere inerat

„jambici vel celeritatis, libertate nimirum admittendi spondei in licentiam con- „versa. In Graecia quippe paulum tarditatis et gravitatis addere voluerant „poetae senariis spondeorum stabilitate; heic autem, Romae, vel nobilissimo- „rum poetarum trimetri nimio plus tarditatis et meram gravitatem habebant, „ex celeritate, quae propria est jambico generi, nil fere retinentes; tam pleni refertique „erant spondeis, et jambis rari.“ Itaque *non ita pridem* minime sic dictum est, ut Sat. II, 2, 46. *haud ita pridem*, sed praedicati locum obtinet *ita*, ut in illo *non est ita*, omisso verbo substantivo, plane ut Carm. II, 15, 11.

Tum spissa ramis laurea fervidos
Excludet ictus. *Non ita* Romuli
Praescriptum et intonsi Catonis
Auspiciis veterumque norma.

Aristoph. Nubb. 7. *Οἱ δ' οἰκέται ῥέγκουσιν· ἀλλ' οὐκ ἂν προτοῦ.* *Pridem* vero, quum proprie contrarium sit adverbio *nuper*, non ita frequenter pro *olim* oppos. *nunc* usurpari concedo; sed fit tamen interdum, ut Justin. XXXI, 3. *Italiam notiorem sibi nunc quam pridem fuisse.*

Atque haec quidem hactenus; quorum censuram vel propterea Tuo libentissime subjeci judicio, quod, quanto quisque aetatis maturitate et usu vitae praestat, tanto aptior est ad virtutem horum carminum recte aestimandam et indolem penitus perspiciendam. Caetera enim Horatii carmina pueritiam morantur, adolescentiam alunt, virorum etiam ac senum otia delectant, sive sua virtute sive memoria puerilis delectationis renovanda; epistolae autem, nisi cum tempora quaedam ipsi vidimus ac sensimus, nec placere satis nec intelligi possunt; adeo insignes sunt rerum humanarum peritia et sensuum dictorumque altitudine.

Tu vero, Vir optime, cui multo plus bonorum attulerint anni venientes quam ademerint, sic hodierno die existes temporis acti laudator, ut tot beneficiorum autori nobiscum grates agas, idemque ea mente avidum Te futuri fateberis, ut, quemadmodum adhuc fecisti, et Tuis adesse et humanitatis studia pro virili parte fovere possis. Ita nobis non uno nomine carus, plurimorum piis precibus Deo T. O. M. commendatus vale nobisque fave!